



~~SM.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-73. ———
SIGNAT. cIbIbCCCXIII.



49

בגבורת השם:

DIATRIBE LOGICA

DE

SYLLOGISMO,

QUAM

IN ILLUSTRARI AD ALBIM ACADEMIA

SUB PRÆSIDIO

VIRI

CLARISSIMI atq; PRÆ-EXIMI

DN. M. ÆGIDII Strauchs /

VVitteb. Ampl. Facult. Philosoph. adjuncti meritissimi,

Dn. Præceptoris, fautoris & amici sui ma-

gni æstimandi,

Publicæ eruditorum συζήσεσι placide

subjicit

CHRISTIANUS ARNOLDUS Bornholz /


Varelâ - Frisus

A. & R.

In Auditorio collegij veteris

Ad diem XVIII. Octobr.

ANNO M DC LIV.



WITTEBERGÆ,

Ex Officina Typographica

JOB. WILHELMI FINCELII.



STYLLOGRAPHIA
MATHETICO-LOGICA

CHRISTIANUS WOLFF

CHRISTIANUS WOLFF

AMNO MDC LXX

CHRISTIANUS WOLFF





בש"ו י

περὲυλιον.



Non ad alta & sublimia evadit, ima qui negligit tritissima vox est; periculosa enim temeritas est, & vicina lapsui, non ascensis gradibus, sed cereis veluti pennis ad altiora evolare, & Icari exemplo audaciam suo damno experiri. Id quod hoc tempore multis evenire solet, qui logicam planè incultam relictam, ad Physicam, & Metaphysicam transgressum faciunt, imò quoque sæpè ad Theologiam. At lapsu graviore ruunt, quo magis ad ea se convertunt, hinc tot schismata, tot errores, tot nebulæ invehuntur in mundum, non enim, ne dicam, rectum vitæ, sed ne scientiæ iter tenent, tantum abest, ut rectè faciant, cum neque rectè facere sciunt. Quisquis igitur ab erroribus eximius esse cupis, & tot labyrinthorum flexus feliciter superare, Logicam, tanquam Ariadnam sequere; hanc enim si ducem excipis, certus es viæ, si deseris, certus es erroris. Hanc si sequeris, veritatem in puteo quodam sic alto, ut nullus sit fundus, demersam jacentem, more Anachoretæ illius apud Moschum, arte eruere poteris; meritò iccirco amplectenda, meritò præponenda est. His positis, abeant ejus osiores, evanescant ejus rasoires, quorum sententias & rationes silentiò præteriisse, sit refutasse. Respondeat nostri loco omnium facultatum & scientiarum Doctores, ex super abundanti, & quantum cuivis in facultate suâ, Logica adjumenti attulerit, longâ serie enumerabunt. Nos in his acquiescimus, præprimis vero doctrinam Syllogisticam commendantes tanquam unicum totius Logi-

A 2

ca si



cæ finem, omniumq; disputantium remigium, quâ omnia ceu Lydio lapide, sive falsa, sive vera sint, probantur quâ sophistis frenum, Jesuitis vero flagrum injicitur. Hinc moti sumus publicæ velitationi ventilandam proponere doctrinam de Syllogismo, cujus disputationem in duas sectiones dividere animus est, quarum 1. Theorematica 2. Problematica. Idq; ut rite fiat, faxit, ô faxit, rationis rector & director. Esto igitur.

SECTIO I. *Theorematica, præmittens, certis theorematibus inclusam, Syllogismi definitionem, divisionem, terminos & propositiones.*

THEOREMA I.

Syllogismus est *διάνοια* sive discursus, in quâ quæstio dubia cum medio termino ita disponitur, ut positis præmissis, necessariô concludatur. Rev. adm. D. D. Scharff. Man. Log.

Christ. Matth. Gymn. L.

I. 3. f. 1. & c.

ἔκθεσις.

§. 1. In hujus definitionis ἀναλύσει sive resolutione duo veniunt prænotanda (I) ὀνοματολογία, s. nominis explicatio, & (II) πραγματολογία s. realis enodatio.

§. 2. Circâ ὀνοματολογίαν hic tria perspiculanda veniunt 1. Homonymia. 2. Synonymia, 3. Etymologia.

§. 3. Quod attinet. 1 Homonymiam. Syllogismi vocabulum variè sumitur. 1. *Arithmeticè*, pro computatione per regulam DETRI institutâ, ubi calculator ex legitimâ trium

trium numerorum collectione, secundum præscripta Logistica factâ, quæsitum elicit. 2. *Rhetoricè*, pro specie status Legalis qui *συλλογισμὸς* sive ratiocinationis status appellatur, cum res, de quâ non est propriâ lege cautum, colligitur ex re simili, de qua statutum est lege. E. G. sit lex, qui matrem pulsârit, plectatur. At est, qui patrem pulsârit. *Vid. Voss: in part. orat. l. 1. c. 10. §. 5.* 3. *Logicè*, pro discursu syllogistico, cum ex legitimâ trium terminorum dispositione, id, quod in quæstione fuit, necessariâ consequentiâ infertur: Quæ significatio propriè est hujus loci. Alii aliam Syllogismi Homonymiam evolvunt, Syllogismum distinguentes 1. *in latissimè sumptum*, qui sub se comprehendat tam Syllogismos perfectos, quàm imperfectos. Verum, ut dicam quod res est, imperfecti Syllogismi possunt quidem dici syllogismi, sed cum adjectione aliquâ, ut hoc velut Stigmatè inusti inter noscantur: *Vid. Steng. in lib. de bon. & mal. Syll: Similiter quoq; falsi Syllogismi nomine Syllogismi donari possunt sed in alii, vitiosi, Sophistici, pseudographi, non secus ac Grammatici malam constructionem vocant, saltem per analogiam quandam, licet hoc ipso constructio non sit, quia mala est.* 2. *in Syllogismum specialiter* ἡ κατὰ ἐξοχὴν ita dictum, qui Syllogismus est perfectus, & ex legitime atq; explicitè dispositis propositionibus veram elicit conclusionem, de quò *Arist. l. 2. post. anal. c. 2. §. 3. p. 3. 5. 9.* inquit. ὅπαντα πιστεύομεν εἰς συλλογισμὸν. Rerum omnium fidem facimus Syllogismo. *Vid. D. Scheibl. in op. 2. l. 4. tr. ult. p. 624.* Alii plures recensere solent ambiguitates, sed nostri instituti non est omnia homonymia adducere.

§. 4. Quod spectat **Synonymiam** s: vocabula æquipollentia, sunt ea partim *Latina*, partim *Græca*, partim *Hebræa*. *Latinis* dicitur. 1. *Ratiocinatio*, quæ distinguenda est partim à naturali mentis ratiocinatione, quâ omnes homines beneficio naturæ sunt instructi, siquidem hæc est à naturâ; illa ab arte: hæc omnibus hominibus competit, illa vero tantum doctioribus, hæc confusè, illa distinctè, servatis &

observatis Syllogismorum regulis, procedit. *Vid. Honold. in tr. de Syll. disp. 1. th. 1. p. 3. q. 8.* Inde quoq; interpretes Aristotelis libros prior: anal. de Syllogismo, appellant libros de ratiocinatione. 2. *Argumentatio.* Honoldus hujus denominationis dat hanc rationem, quia tres termini ex quibus constat, nil aliud sunt, quam argumenta certo modo inter se affecta, Scheiblerus vero dici sic Syllogismum putat, quod in eo assumamus argumentum ad concludendum, ut argumentatio idem sit, quod argumenti assumptio. 3. *Argumentum.* Ab effectu nobiliori, quod inter omnia argumenta logica maximam vim arguendi in se contineat. Quod enim in terminis simplicibus ratione *δυνάμειως* & potentia, illud hinc ratione *ἐνεργείας* & actus reperitur. Unde locutiones satis trita; Tale est argumentum &c. in hoc argumento committitur talis vel talis elenchus. *Græcis* dicitur *συλλογισμὸς, συλλογιστικὴ ἀναγωγή.* *Hebræis* dicitur *הקש* Syllogismus concludens. Hinc duos anal: libros inscribunt *ספרי הקש*. Derivatur verò vox hæc *הקש* vel *הקש* (si celeberrimo Buxtorfio tum in lexico minori, tum Chaldaico Talmudico-Rabbinico credimus) à Radice *קש*, quæ in kal quidem ex usu hebræorum significat recollegit, excusit, inquisivit, propriè stipulas collegit, quod fit accuratâ scrutatione, hinc dicitur de quâlibet diligenti inquisitione. Chaldaicè verò teste eòdem, senescere, incanescere significat. Atque hinc in *Hiphil* *הקש* est assimilare, æquiparare, comparare inter se &c. Ut ad eò vi vocis ab hebræis syllogismus dicatur ejusmodi collectio, quæ accuratò studio instituitur, & summo cum labore absolvitur, in quâ etiam unum cum altero exactè comparatur; Quamvis nos non fugiat, Syllogismum Sophisticum in *הקש* seu Logicâ Ebræorum, etiam hòc ipsò nomine venire, dicitur enim *הקש מטעה* id est, Syllogismus errare faciens, seu erroneus. Fit enim hoc ideo, quia Sophismata mentiuntur quasi speciem Syllogismorum legitimum; Atq; ad eò non nisi abusive ejusdem nominis participes

oipes dici possunt. Dicitur quoque Syllogismus $\pi\lambda\lambda\upsilon\gamma\iota\sigma\mu\acute{o}\varsigma$ argumentatio, seu ut plurimi vertunt objectio, quæ est à radice $\lambda\upsilon\gamma\iota\sigma\mu\acute{o}\varsigma$ quæ vox redditur per argumentari, objicere argumenta: *Vid: Buxtorf: in Lex: minori & majori voce $\lambda\upsilon\gamma\iota\sigma\mu\acute{o}\varsigma$.*

§. 5. Etymologiam quod concernit. Vox Syllogismi ex arithmericis in Scholas logicas est translata dicitur n. per metaphoram $\omega\delta\acute{\alpha}\tau\acute{o}\sigma\upsilon\lambda\lambda\omicron\gamma\iota\zeta\epsilon\theta\alpha\iota$, quod significat computare, duos vel plures numeros in unam summam colligere inde est $\sigma\upsilon\lambda\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\mu\acute{o}\varsigma$, i. e. ratiocinium, ratiocinatio, calculus. Quemadmodum verò Aristoteles teste Philopono in omni doctrina suâ fuit $\phi\iota\lambda\omicron\gamma\omega\mu\acute{\epsilon}\tau\eta\varsigma$, adeò, ut multa vocabula ex Mathematicis ad Logicam transtulerit, ut sunt, $\acute{\alpha}\nu\acute{\alpha}\lambda\upsilon\sigma\iota\varsigma$, $\pi\rho\acute{\omicron}\tau\alpha\sigma\iota\varsigma$, $\omicron\rho\theta$, $\acute{\epsilon}\kappa\theta\epsilon\sigma\iota\varsigma$, $\sigma\upsilon\mu\pi\acute{\epsilon}\rho\alpha\sigma\mu\alpha$ $\omicron\rho\iota\sigma\mu\acute{o}\varsigma$, $\acute{\alpha}\pi\acute{\omicron}\delta\epsilon\iota\zeta\iota\varsigma$ $\sigma\chi\eta\mu\alpha$. Ita etiam vocem syllogismi, ab eâ parte artis, quæ Logistica dicitur desumpsit, & per $\acute{\alpha}\nu\acute{\alpha}\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\upsilon$ & similitudinem quandam ad mentis ratiocinationem, & discursum transtulit. *Quia 1.* Quemadmodum Arithmetice propriè dicuntur $\sigma\upsilon\lambda\lambda\omicron\gamma\iota\zeta\epsilon\theta\alpha\iota$, hoc est, ex numeris datis colligunt quæsitum: ita quoq; Logici ex datis præmissis colligunt conclusionem. *Flac. l. 5. Log. c. 5. Quia 2.* Sicut in regulâ aureâ, quam DETRI appellant, tres numeri sunt inter se conferendi, ita in Syllogismo tres termini sunt disponendi. *Honold. tr. de Syll. disp. 1. 43. 1. Quia 3.* Sicuti ex operatione Logistica factâ verum elicitur quæsitum: ita quoq; Logicus ex trium terminorum dispositione summam rei, nim: veram conclusionem elicit, quæ vocatur $\sigma\upsilon\lambda\lambda\omicron\gamma\eta$ $\lambda\acute{\omicron}\gamma\eta$ collectio rationis. Ratio autem colligi dicitur, cum conclusio infertur. *Vid. Scheibl. in op Log. tr. ult.*

§. 6. Circa $\pi\rho\alpha\gamma\mu\alpha\tau\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\upsilon$ duo hîc pensitanda veniunt. 1. *Syllogismi verum genus & 2. differentia ejusdem specificia.*

§. 7. Quod *GENUS* Syllogismi spectat, ab eo removemus (1) $\lambda\acute{\omicron}\gamma\omicron\nu\omega\ \omega\epsilon\rho\phi\omicron\rho\epsilon\mu\acute{\alpha}\tau\omicron\nu$, *operationem externam*, sive sermonem prolatum ob hanc rationem, quia genus debet esse de
essentia

essentia speciei, jam v: sermo prolatitius Syllogismo essentia-
 lis non est. Ergo. Nequit Syllogismi genus esse *Min. prob.*
 Quia sermo prolatitius à syllogismo abesse & adesse potest.
 Ergò. Non est ejus genus. Logica enim in universum de-
 bet dirigere, corrigere, & perficere operationes intellectus, ut
 in omni re cognoscendà veritatem assequatur, notante *D.*
Scheibl. op. log. tr. ult. quest. 2. Ast id potissimum fit in mente,
 & non in sermone solum ad alium sed etiam in meditationi-
 bus solitariis. Hinc syllogismo est accidentale, ut sermo-
 ne proferatur. Exempli sint instar omnium illi, qui varias
 syllogismorum structuras meditantur, nonnè hi mente & in-
 trinsecus formant syllogismos? quod etiam innuit subtilis-
 simus *Scalig. Exerc. 307. f. 23.* dum inquit, *secum in se ipso, ad*
semet, pro semet, potest homo facere Syllogismum. Unde quo-
 que *Arist. 6. Eth. docet,* virum prudentem in consultationibus
 suis uti syllogismis. At is Syllogismus non est in voce, sed
 in mente & cogitatione. Argumentorum obstantium non
 tam facilis est prolatio, quam resolutio. (2) removemus *Ra-*
tionem, quat: (1) notat tale argumentum, quò medius termi-
 nus probatur, & (2) quat: notat facultatem illam animi, quâ
 homo ad discurrendum est aptus, hòc modò est ejus causa.
 Non verò eam removemus, quatenus notat illū rationis con-
 ceptum, qui fit cum discursu, hoc siquidem modo nihil est a-
 liud, quam discursus, & mentis agitatio ab uno ad alterum
 transiens, quicquid enim cum discursu coincidit, id hìc loco
 generis potest stare. (3) Removemus omnia alia, quæ hìc
 loco generis à nonnullis poni solent, quædam enim sunt *Syn-*
onyma cum Syllogismo, ut argumentatio, & ratiocinatio,
 unum autem *Synonymum alterius genus esse nequit,* reliqua
 vero planè sunt inconvenientia, ne igitur nostra excresecat
 tractatio, ad verum Syllogismi genus quod haberi & ipsi
 tanquam notioni secundæ imponi potest descendimus.

§. 8. Pominus autem (4) ejus genus *διάνοιαν sive discursum,*
 Ubi quædam præmittenda de voce *διάνοιας,* quod hìc
 non sumatur. (1) *ψυχολογικῶς, Physicè & naturaliter,* qua-
 tenus

tenus notat vel ipsam hominis animam. *Arist. l. 10. Eth. 3.* vel facultatem naturalem intellectus discurrentis, vel ipsum motum, sive actum discurrendi Physicum, qui in quolibet homine, qui ratione utitur, reperitur. Nec (2) γραμματικῶς, Grammaticè, quatenus significat sensum sive sententiam verborum, Nec (3) ῥητορικῶς, oratorie, quatenus significat figuram, quæ potius sensum, quam verba spectat. Ubi tamen hæc differentia inter διάνοιαν grammaticam, & Rhetoricam est, quod ea significet sensum verborum ex proprietate eorundem fluentem; Hæc verò sensum ex improprietate verborum fluentem. Sed (4) λογικῶς, *s. Logicè*, itemque non παχυλῶς & vulgariter, prout significat omnem mentis operationem, & in hoc significato etiam διάνοια in argumentorum topicorum inventionem, & axiomaticam eorundem compositionem conspicitur sed ἀκριβῶς & accuratè, quatenus significat eam mentis operationem, quæ in argumentatione sive discursu consistit. Neq; hinc attenditur ἔργον *s. habitus Syllogismi formandi*, nec ἐνέργεια, *s. actio discursiva*, quam διάνοια doctrinalis dirigit, sed διδασκαλία, *quæ proponit præcepta*, quibus διάνοια *s. discursus* artificiosè est formandus & instituendus: διάνοια h. m. sumpta, eleganter dicitur à Beurhusio *formans*, quæ docet, quò pacto syllogismus artificiosè formandus sit & distinguitur à διάνοια *formata*, quæ est ipse syllogismus secundum præcepta Syllogistica artificiosè formatus, quemadmodum notat *Christ: Matth. in G. L. Διάνοιας* ambiguitate sic evoluta ad ipsas rationes nos convertimus, quæ & firmæ sint ad certum genus constituendum. (1) quia διάνοια est ejusmodi actus mentis, quò omnia ea, quæ ad tertiam mentis operationem pertinent, exprimuntur. Jam syllogismus etiam ad eam mentis operationem pertinet; Commodè igitur hæc vox loco generis ponitur. (2) Quia discursus propriè pro eo usurpatur, quod hinc inde currit; hinc per similitudinem vox illa tracta est ad eam mentis operationem, quâ mens hinc inde transit. (3) Quia Syllogismo omnia ea conveniunt, quæ ad διάνοια spectant. Hinc etiam, ut ubiq; διάνοιας, *ofores*, quod opponant, habent: potiora argumenta

B hæc

hæc sunt. (1) Discursum esse rem naturalem, Syllogismum verò artificialē, Artificiale autē per naturale definiri non posse. (2) *διάνοιαν* esse notionem primam, syllogismū vero secundam, secundam verò notionem non posse definiri per primam. (3) Syllogismum fieri per discursum, non g. ejus genus esse discursum, cum causa non sit effectus. Sed hæc argumenta tanti momenti non sunt, ut nostrum infringant genus. *Respondemus ad singula.* In (1) Syllogismo conjungi deberet naturale cum artificiali, utrumq; enim Syllogismo competit, sed diverso modo, illi vi artis, huic vi naturæ. In (2) confunditur discursus Physicus cum Logico & artificiali, iste est notio prima, hic non item. In (3) negamus minorem. Syllogismus enim fit quidem per discursum effectivè, ut est actio, non ut est opus productum, sic enim & discursus est opus mentis. Et hæc paucis de genere, jam transitum facimus ad differentiam.

§. 9. *Differentiam* quod attinet, eadem hæc est; *quæ questio dubia cum medio termino ita disponitur, ut positis præmissis, necessariò concludatur.*

§. 10. In hac differentiâ specificâ singula ponderanda veniunt verba. Prima verba hæc sunt: *Quæ questio dubia cum medio termino disponitur.* Per *questionem* hic non intelligimus conclusionem (siquidem hæc inter se differunt, quamvis non materialiter, ita enim conveniunt, quia una eademq; propositio ita appellatur, tamen formaliter, quia quæstio est materia Syllogismi constituendi, conclusio vero constituti, illius nota est particula An, hujus vero particula Ergo) sed ipsum quæsitum, cum adhuc dubitatur. Notanter etiam additur *dubia*, hoc enim inter quæstionis requisita numeratur, quod sit dubia, hoc est ut rationibus vel Apodicticis vel verisimilibus possit ventilari. Quæstio enim ut eleganter notat *Cl. Honold.* proponitur ad probandum: probamus autem solam dubia, non illa, quæ omnī dubitatione carent. Dubia autem esse potest, vel simpliciter in se, suâq; naturâ, ratione istius materiæ, de quâ agitur, vel

vel respectivè respectu personæ, cum quandoq; fiat, ut in rebus maximè manifestis aliquis scrupulum habere soleat, quod intellectui nostro non est rarum. Nulla igitur quæstio necessariò Syllogistice probatur nisi sit dubia, aut ad minimum ita videatur, vel omnibus, vel pluribus, vel aliquibus personis, ob hanc rationem, quia confirmatione per medium terminum opus non esset, si quæstio non esset dubia, hæc enim ut quoddam ignotum per aliud notius est stabilienda. Deinde notentur hæc verba. *Ut positis præmissis necessariò concludatur.* *Positis*, hîc idem est, quod concessis, quod quoq; vult *Aphrodiseus*, dum ait, quod præmissæ non sint amplius rogantes, vel deprecantes, vel interrogantes, aut vocativæ, sed certi aliquid significant, ut sic idem sit, ac se dicerem existentibus, & reverà præsentibus præmissis. Si verò præmissæ sunt positæ necessariò sequitur ipsa conclusionis illatio, quæ uno verbo consequentia dicitur.

§. II. Solent quoq; in differentiâ notare, *Materiam, formam, & finem.* Ubi per *Materiam* non intelligimus (1) *Materiam in quâ*, nec (2) *circâ quam*, sed (3) *ex qua*, tanquam principio interno constitutivo, & parte essentiali, Syllogismus generalissimè consideratus constat, adeò, ut non inconvenienter formaliter intellecta, dici possit, materia Syllogistica dispositionis. Nec hîc intelligitur materia *ex quâ sensibilis*, quæ solis corporibus competit, sed *ex quâ intelligibilis*, cum n. integer Syllogismus sit opus quoddam mentis, & rationis, etiam materia alia nequit esse, quam intelligibilis, juxta canonem: *Qualis effectus, talis causa.* Deinde quoq; *Syllogismi materiam aliam remotam, aliam propinquam faciunt*, illam ex quâ Syllogismus mediatè, hoc est interveniente aliâ materiâ constituitur, unde propriè dicitur materia Syllogismi constituendi. Estq; major, minor, & medius terminus, de quibus in thesi tertiâ sumus acturi. *Hanc* ex quâ Syllogismus immediate constat. Aliàs dicitur *materia compositionis*, sive materia Syllogismi jam constituti, & hæc sunt tres propositiones. *Forma* est dispositio quæstionis, & medii secundum

dum leges Syllogisticas facta, hæc enim cum legitima non est, totus Syllogismus fallit. FINIS tandem est necessaria illatio: Quando enim præmissæ sunt positæ, tum conclusio sequitur ex necessitate Syllogisticâ, quia est effectum præmissarum. Actu enim positâ causâ immediatâ, & proximâ conclusionis, impossibile est, nullum posse effectum sequi. Quod tamen intellectum volumus de præmissis compositionis propriæ: neque enim è quibuslibet præmissis quælibet conclusio sequitur, neq; per quaslibet præmissas demonstratur. Propriæ autem præmissæ dicuntur illæ, ex quibus vera, non falsa elicitur conclusio. *Vid. Honold. l. 2. Expl. can. c. 14. can 5. p. m. 208.* Et hæc hæc in thesi nostræ tenuitati sufficiant, pergimus ad Syllogismi divisionem.

THEOREMA II.

Syllogismus dividitur in affirmatum
& negatum.

ΕΝΣΕΟΙΣ.

§. 1. Sicut enim affirmatio & negatio cadunt in quodvis enunciatum, ita etiam in quemvis Syllogismum, ut rectè docet *Mocenicus contempl. 2. part. 3. c. 13.* Necessum enim est, ut in omnibus Syllogismis conclusio vel affirmetur vel negetur: tertium non datur, affirmatio & negatio ergò omnium Syllogismorum communis est affectio cum enim conclusio sit effectus præmissarum, ex effectu apparet causa, ejusq; vis, ut rectè *Scheibl.* docet. Hæc igitur divisio culpanda non est. *Errant igitur illi,* qui affirmationem & negationem Soli Syllogismo assignant simplici. Etsi enim evidentius affirmatio & negatio in Syllogismo simplici conspiciatur, quam in composito, non tamen propterea in solo Syllogismo simplici tractanda erat. Posset quoq; in hoc aliquis errare, quod Syllogismum in genere constituamus affirmatum & negatum

tum, cum etiam sit universalis, particularis & singularis. Verum iste sciat, nos hinc tantum considerare syllogismum ratione qualitatis, non ratione quantitatis, quod spectant reliquæ divisiones,

§. 2. *Syllogismus affirmatus* est, cujus conclusio est affirmata. Hinc sequitur, utramque præmissarum fuisse affirmatam, ob has rationes. Quia si aliqua præmissarum esset negativa, etiam conclusio esset negativa, quæ semper partem debiliorem sequi debet. Deinde, quia conclusio est effectum præmissarum. At nihil est in effectum, sive principiato, quin vel actu, vel potestate fuerit in suis principiis, uti acutissimus Scaliger ait: *Exerc. 37. sect. 20.*

§. 3. *Syllogismus negatus* est, qui constat ex conclusione, & alterâ præmissarum negatâ. In omni enim Syllogismo ad minimum una præmissarum debet esse affirmans, cum ex puris negativis nihil sequatur. Pura enim negata sunt scopæ dissolutæ, & omnem connexionem impediunt, una tamen præmissarum si syllogismus negatus constituendus, debet esse necessario negans, impossibile enim est, sequi negatam conclusionem, ubi nihil negatum præcesit. *Nec obstat. Oppositorum oppositas esse definitiones. Syllogismum affirmatum & negatum esse opposita. Nec tamen oppositas eorundem definitiones esse. Resp.* Res esse ex suæ naturæ veritate nativâ æstimandas, & definiendas, non ex analogiâ, vel similitudine nudâ. Iccircò quoque Syllogismus negatus non secundum Syllogismi affirmati constitutionem, & similitudinem est formandus, sed juxta suam ipsius naturam, & rei veritatem. Natura autem & veritas Syllogismi omnis requirit, ut altera pars affirmata sit, cum ex puris negationibus nil certi sequatur.

THEOR: III.

Syllogismus constat tribus terminis, totidem-
que propositionibus.

ἑκθεσις.

§. 1. *Termini* sic dicuntur, quia (1) *sunt prima principia* ex quibus syllogismi compositio incipit. Et sic materia illa Syllogismi tam dicitur *terminus à quò*, quam *ad quem*, à quò, quia ex terminis primùm Syllogismus inchoatur. Ad quem, quia & illi terminant resolutionem Syllogisticam. (2) *Quia termini dicuntur à terminando*, quod nimirum aliquid terminent, & designent, notatione desumptà ex politicis, ubi terminus dicitur signum, quod hunc vel illum agrum terminet. Quemadmodum enim in politicis ὄροι sive termini dicuntur limites, & semitæ, itemq; notæ, s; signa in certis locis constituta, ut sunt in viis, hermæ, quæ monstrant veram viam præ falsâ. Ita quoq; in Syllogismo termini, qui certam Syllogismi formam designant, ultra quam progredi non fas est. *Euclides l. 1. Elem. ait: ὄρον* esse ὁ τινός ἐστι πέρας, quod alterius est extremum, quod congruit in terminos Syllogisticos. Aristoteles aliàs sæpissimè pro voce πέρας habet ἄκρον, quæ tamen coincidunt, ubi verò hoc observandum, quod saltem major & minor terminus dicantur extrema, ille μείζον ἄκρον, hic vero ἔλαττον ἄκρον, si enim medium etiam vocaretur extremum, insignis conspiceretur contradictio, cum medium sic dicatur, quod extrema respiciat, inter quæ ponatur, & quorum respectu medium dicatur, uti eleganter disserit *Honold. tr. de Syll. disp. 2. q. 2. p. 61.*

§. 2. In quo vis Syllogismo sunt tres termini, *major*, *minor*, & *medius*, quorum descriptiones ex Logicis petantur. *Major terminus hebræis* dicitur הַרְבֵּי & הַרְבֵּי quia hic terminus plerumq; est communior, dicitur quoq; μείζον ἄκρον, *majus extremum*, aliàs *terminus major*, quia est virtutis majoris ob latitudinem, & universalitatem, multò enim latius quam
minor

minor se extendit. Definitur v. ab *Arist. 1. pr. an. c. 4 p. 148.*
*ἄκρον μείζον καλῶ τὸ ἀυλότε ἐν ἄλλῳ; Extremum majus appello id, quod est in alio, ubi τὸ esse in alio præcisè intelligendum, ratione prædicationis, quod de alio prædicetur, si de omni termino majori intelligenda hæc est regula. Minorem terminum quod attinet, is Græcis dicitur ἑλαττον ἄκρον minus extremum, sic enim hi duo termini vocantur, quia per medium terminum tanquam per vinculum, in præmissis conjunguntur, & combinantur, uti annotat *Flac. libr. 5. Log. c. 5. Hebræis dicitur minor terminus תַּיִן & תַּיִן* quia תַּיִן τὸ πολὺ, plerūq; est angustior, virtutis n. est minoris, quam major. Quod deniq; medium terminū spectat, solent quoq; illi denegare nomen termini, nos id ipsum parvi facientes, pro affirmativa sententiā ita argumentamur. In quod Syllogismus resolvitur, & ex quo componitur, illud est terminus, jam v: tam in medium terminum, quam in reliquos, resolvitur syllogismus, & ex eo componitur, Ergo. Argumenta, quæ obstant, non sunt tam firma, ut nostram infringere possint sententiam. Dicitur verò hic terminus Græcis (1) μέσον medium, duabus de causis. (1) Virtute, quia virtutem habet conclusionis terminos colligendi, eosq; uniendi, quippe qui unitatem in medio termino obtinent: unde medius terminus est quasi duorum terminorum mediator. (2) Positione, quia medium locum inter subjectum & prædicatum obtinet, ut in prima figura. (II) λόγος ratio, ubi per λόγον intelligitur id, quod aliquid probamus, & rei fidem facimus, ut patet ex 6. *Eth. 20. p. 100. ubi Arist. ait: ὅδ' ἂν ὁ λόγος ἢ εὐβουλία. Non sine ratione bona est consultatio.* Hinc locutio satis trita, probo thesin hæc ratione, i. e. medio termino. Latinis dicitur. (1) Argumentum, simpliciter, quia ad aliquid arguendum est affectum. Quod quoq; de medio termino asseri potest (3) Argumentum tertium. Quia tria argumenta in syllogismo disponuntur, duo sunt in ipsa quæstione, de quibus adhuc dubitatur, tertium deinde accedit, vi cuius quæstio vel affirmanda, vel neganda est. (3) Vinculum. Quod de vinculo Syllogistico, non axiomatice intelligi debet, uti rectè notat *Flac. l. 5. Log. gen. c. 3. p. 400.* Rectè ergo
Philo-*

Philoponus medium describit. κοινωνὸν δύο προτάσεων. Socium seu commune vinculum duarum propositionum, (4) *Medius terminus*, & id communissimè, rationem dat Philoponus, eò quod reliqui duo termini à se invicem separati per medium colligantur, seu cohercant. Atq; hisce tribus terminis legitimè dispositis conclusio Syllogistica elicitur. Nunc ad propositiones pergendum erit.

§. 3. In omni Syllogismo sunt quoq; tres Propositiones, major, minor, & conclusio. *Majorem quod attinet*, græcis ea dicitur, πρότασις μείζων, Rabbinis תדקתה הרהר Latinis dicitur *propositio*, major, simpliciter per ellipsin, cum dico probetur major, id est major propositio, ita v: frequentissimè dicitur, quia major terminus in illà cum medio collocatur. *Minorem propositionem quod attinet*, græcis dicitur πρόσληψις, προσλαμβάνομενον, πρότασις ἐλάττω. λήμμα, μετάληψις, & συνείδησις. Hebraeis dicitur: תבטק תדקתה Latinis dicitur, *assumptio*, quia secundo loco assumitur, unde Arist. omnem partem syllogismi, quæ alii priori adjungitur, vocat πρόσληψιν, assumptionem. At si contingat, ut minorem primò sumat argumentans, tunc major phrasi Aristotelica assumi dicitur. *Dicitur quoq; sumptum, assumptum*, quia post majorem propositionem ordine naturæ assumitur. *Subsumptum*, quia positâ majore propositione subsumitur tanquam speciale sub general. *Transsumptio* quia ex majore transsumitur. *Minor* simpliciter, quia respectu majoris minorem locum occupat, unde locutio; robetur minor, id est, Propositio minor. Est autem circa utramq; hanc syllogismi partem observandum, quod dicantur præmissæ, תדקתה, προτάσεις à προτείνεσθαι, quod prætendantur conclusioni, veluti premunientes clypei & antesignani milites, quamvis non semper prioritate temporis, tamen prioritate naturæ *Vid. Excell. D. Scharf. in Inst. Log. libr. 3. c. 1. p. 442. Ultimò loco progredimur ad conclusionem, tanquam propositionem tertiam.* Ubi primò prænotandum erit, nos hîc vocem propositionis non strictè sumere, quatenus idem est, quod præmissa

missa, & comprehendit tantùm majorem & minorē propositionem. *Nec strictissimè*, qvat: solam majorem propositionē notat, *sed late*, qvat: pro omni axioma, enunciato, & propositione usurpatur. Hâc ratione etiâ definitio propositionis accommodari potest conclusione. *περίληψις* enim s: propositio est oratio affirmans aliquid de aliquo. At tale quid etiam conclusio est, competit enim eidem affirmatio quoq;. E. Est propositio. Argumenta in contrariam partem quæ adducuntur à Zabarella 1. *post: act. 13. p. 696*. Non tanti sunt momenti, ut huc apponantur. Voces ejus æquipollentes sunt in syllogismo (1) *κρίσις* *vis judicandi*, quia antea dubia juxtâ sententiam definitivam directè pronunciat (2) *συναγωγή* *congregatio*, quia partes quæstionis iterum ex propositionibus colligit, & congregat; eadem ratione dicitur quoq; *συμπέραςμα* *collectio*, è *συμπερίνω* colligo. (3) *ἐπιφορὰ* *illatio*, quia ex positis prioribus præmissis infertur, (4) *Connexio*, quia partes quæstionis in propositionibus dispersas connectit, eadem ratione dicitur quoq; *complexio*. (5) *Conclusio*, & quidem vulgarissimè, quia partes quæstionis per legitimam consequentiam concludit, non quidem effectivè, sed materialiter partes quæstionis comprehendendo. Et hæc hæc in sectione sufficiant, jam pergendum ad alteram.

SECTIO II. *Problematica decidens
problemata.*

PROBL. I.

An DEUS propriè & exquisitè loquendo ratione sui utatur discursu Syllogistico?

ἘΝΘΕΣΙΣ.

S. I. Nos negativam sententiam defendimus, & quidem rectè, id quod patet (1) *Ex Syllogismi definitione*: Siquidem in omni Syllogismo fit processus ab ignoto ad notum, à dubio ad clarum & manifestum. Jam verò DEUS non procedit ab ignoto ad notum, cum DEO nil sit ignotum. (2) *Ex dispositione quæstionis cum argumento tertio*, quod indiscursu Syllogistico
C
necessa-

necessariò requiritur. Jam verò DEUS non quærit, quia omnia novit, non Syllogisticè unum cum altero disponit, quia omnia intuetur, non conclusionem ex antecedentibus format, quia uno intuitu omnia cognoscit. (3) *Ex ipsâ voce discursus*; Hæc n. notat imperfectionem quandam cognitionis. At in DEO nulla est imperfectio, hinc *Scal. exerc. 307. f. 8. ait*: Deus non disceptat, non ratiocinatur, non proponit, non colligit, non cum alio confert, non ab ullo accipit. Signanter dicimus quoq; in problemate: *ratione sui*: Deus enim utiq; sæpè numero in verbo suo discursu utitur, sed hoc facit propter nos homines, ut nos instruat, & informet. Mos enim DEI est, in verbo suo per *συγκατάβασις* ad nos condescendere, ut nos assurgamus ei, uti venustè loquuntur Theologi nostri cum patribus, h. e. ut mysteria divina eò melius & felicius percipere queamus. *Vide sis plura ap: Thomam part. 1.9. 14. m. 17 Svaretzium in Metaph. disp. 30. f. 15. n. 2.*

§. 2. Nec est, quod objiciant communiter. (1) *Quod in Deo sit cognitio effectus per causam. Ergo. Discursus* [2] *Quod DEUS cognoscat syllogismum, siquidem omnem intellectionem nostram, nostræq; intellectionis objectum cognoscat.* (3) *Quod discursiva cognitio sit perfectio quedam, cum per hanc homo discernatur à bestiis, & ideò Deo competat, sicut & aliæ perfectiones, per quas superat bruta; ut intelligentia, libertas agendi, bonitas, misericordia, licet in DEO sint excellentiores.* *Resp. ad (1) Distingv: inter cognitionem ex alio, & in alio, DEUS cognoscit non ex alio, quod discursum importet, sed in alio, per facultatem intuitivam, cum unum in altero intuemur, sicut Angeli intuentur creaturas, & homo imaginem suam in speculo intuetur, idq; sine discursu.* *Ad [2] distingv. inter rem cognitam, & modum cognoscendi, DEUS utiq; nostrum discursum cognoscit, sed quomodo, non discurrendo sed saltem intuendo.* *Ad (3) Dist. inter perfectionem secundum quid, & simpliciter, est quidem discursiva cognitio perfectio secundum quid, sc. respectu brutorum, non v: simpliciter & absolutè, sic n: considerata, per plurimas imperfectiones includit, ut ignorantiam quæsitæ, notitiarum distinctarum multitudinem, &*
suc-

successionem, quæ in Deum cadere, blasphemum esset affirmare. *Vid. plura ap. Autores supra citatos.*

PROBL. II.

An anima à corpore separata syllogizet?

ἘΝΘΕΟΙΣ.

§. 1. Nos affirmativam defendimus his moti rationibus (1) Quia teste S. Scripturâ *Luc. 16, 22. 25. Apoc. 6, 9. 10. 11.*, anima recordatur, recordatio autem ab anima sine discursu fieri nequit, (2) Quia ratiocinari, intelligere, nosse & similia, tales potentia sunt, quas ipsa deponere suâ sponte nunquam potest, unde vocari solent actus animæ nativi, actus primi & perfecti. Anima separata itaq; discursu utitur.

§. 2. *Non obstant Sacra S. dicta*, quæ vim ratiocinandi eidem planè denegant, ut *Pf. 146. 4. Exhibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam: in illâ die peribunt omnes cogitationes eorum.* E. & cogitationes ratiocinandi. *Eccles. 9. 5. Mortui nil novērunt amplius*, non ergo adest vis ratiocinandi. *Pf. 1. 5. Impii non resurgent in judicio*: Si non resurgent, nec eorum animæ post mortem competit ratiocinatio. *Respondebimus ad singula*
Ad (1) Sciendum, illud hoc tantum velle, quod anima separaturâ corpore, corpus vero redigatur in cineres, cogitationes v: & consilia in his terris suscepta exspirent. *Ad (2) Ecclesiasten* tantum loqui ex mente impiorum, judicantium, post mortem nihil intelligi. *Vid. Jac. Mart. cent. 6. disp. 2. q. 4. Osiander in hunc locum dicit. Mortuos nihil novisse eorum, quæ his in terris geruntur.* *Ad (3) sciendum*, esse fallaciam phraseos, non resurgent, h. e. non surgent, non stabunt, non constabunt, non consistent, s. ut interpretantur non nulli, non erunt stabiles in judicio; Septuaginta fontem minus dextrè secuti reddiderunt *οὐκ ἀναστήσουσιν* non resurgent, quæ sententia, nisi ita, ut paulò superius dictum explicetur manifesta Scripturæ dicta impugnat. *Matth. 25. & Job. 5.* Sed hæc obiter.

C 2

PROBL.

PROBL. III.

An bruta animantia Syllogizentz?

ἘΠΙΘΕΣΙΣ.

§. 1. Nobis negativa arridet sententia, ut verissima his duobus præprimis motis argumentis. (1) *Cuicunq; denegatur causa, eidem quoq; denegatur effectus.* At qui brutis. Ergo &c. Minor patet, quia *διάνοια* sive *λόγος*, mens & ratio, ut Syllogismi causæ brutis non competunt, quod omnes concedunt, effectus itaq; eisdem minimè tribuendus est. (2) *Quibuscunq; omnia Syllogismi requisita non competunt, in ea non cadit Syllogismus.* At qui de brutis verum est prius. E. Posterius. Minor patet, quia ad Syllogismum requiritur. (1) *Intellectiva anima.* At animæ brutorum tales non sunt (2) *Cognitio rerum*, terrestrium, cælestium, spiritualium, & æternarum. (3) *Questionis cum medio termino dispositio.* (4) *Adpositionem antecedentis necessaria conclusio* (5) *Amor scientia*, & his similia, quorum requisitorum ne hilum quidem brutis competere potest. Ergo quoq; nec Syllogismus. Confer. *Magir. in Anthrop: tr. 1 c. 5. p. 69.*

§. 2. Nec sententiam nostram infringunt Laurentius Valla, & Plutarchus cum suis argumentatiunculis, quod bruta in rebus suis agendis prudentiam, & ad varias res sagacitatem disciplinabilem habeant, & quæ hujusmodi sunt sexcenta alia, cum hæc non ab intellectivo principio, sed ex instinctu tam naturæ, quàm Phantasiæ orientur, id quod actus istorum uniusmodi ostendunt. Horum argumentorum in specie quamplurima coacervârunt *Excell. D. Danb. in coll. Psych. disp. 5. contr. 3. p. 133.* & *CL. Honold. in tr. de Syll. disp. 2. quest. 6. p. 47.* Ex quibus tamen hæc duo præprimis notare lubuit. (1) *Ubi agnitio peccati, ibi ratio.* In bestiis. Ergo. Minor patet ex exemplo, quod *Arist. l. 9. hist. de anim. c. 47. habet.* Quod Regi Scytharum fuerit equa egregia, è quâ mares generosi omnes nati sint. Ex ijs unus, qui præstantior reliquis, matri fuit admissus, ut ex eâ procrearet: sed cum id recusaret, post eâ matrem adopertam imprudens supervenit, at ubi matrem detectam post coitum cognovit, exanimatus periit Resp. Concedimus,

cedimus, quod agnoscant, se peccasse, verum non affectu, sed effectu. Tum quoque agnitio illa non est intellectus, sed naturæ instinctus, vi cuius bestia ab incessu abhorret. (2) Quod ipsa Scriptura S. Gallo adscribat intelligentiam. Job. 38. 36. Resp. Textus Hebræus hunc habet sensum: Quis dedit menti intelligentiam: vox enim יָדָעַת significat mentem, intellectum, à rad: יָדָע aspexit, prospexit, & quamvis Gallus Galinaceus intelligeretur, uti volunt judæi præprimis, non tamen intelligentia rationis, sed naturalis, intelligeretur, talis nimirum, quæ ex instinctu naturæ pullularet, & cuius impulsu Gallus caneret.

PROBL. IV.

An varii falsorum Syllogismorum dentur modi?

ἐνδεσις .

§. 1. Sophismatum viæ satis sunt perplexæ, sunt quoque factis multæ, in quarum labyrinthum ingressus quidem est facilis,
*Sed revocare gradum, laqueosque evadere tantos,
 Hoc opus, hic labor ingenij est.*

Hinc sæpè pro magnis qui se venditant viris, hinc subsistere, & aquam sibi hærere fateri coguntur, his exclamantes verbis;
*O torruose serpens,
 Qui mille per Maandros,
 Frondesque flexuosas,
 Agitas quietâ corda.*

Nos verò quoad pagellarum permissum, ingenium exercendi gratiâ, labyrinthos quosdam in lucem protrahemus.

§. 2. Non tamen impræsentiarum disputabimus de horum Syllogismorum nomine & aliis, quæ præsupponimus, sed saltem, quomodo, quæ in istis falsam induunt speciem, resolviqueant, paucis libabimus. Sit igitur (1) *Modalis talis.*

Necesse est, ut fidem vivam habeas, te habere B. O.

Necesse est, ut salutem adipiscaris, te habere fidem vivam. E.

Necesse est, ut salutem adipiscaris, te habere B. O.



Resp. Non nemo ad hunc Syllogismum dicit: Ex puris necessarijs, uti quoq; ex puris contingentibus nihil seqvi. Verum hanc responsionem, ut dubiam, nostram non facimus. Conf. D. Dannhavve: in Idea B. D. p. 295. Dicimus itaq; excedere terminos in hoc Syllogismo ternarium, quaternionem enim demonstramus hoc modo (1) debet habere fidem (2) necessario debet habere fidem (3) Necessario debet habere B. O. (4) vult vitam æternam adipisci.

(2) *Disjunctivus talis.*

Aut aqua in Acesinis & Gangis amnibus est gemmifera, aut non est. Atqui est, E. non est.

Resp. Hunc Syllogismum non servare leges Syllogismorum disjunctivorum, quæ volunt, ut unâ parte positâ tollatur altera, aut contrâ, unâ parte sublata, altera ponatur. At hîc utraq; pars ponitur. Conclusio ergo esse debebat. Ergo Non non est gemmifera.

(3) *Exclusivus talis.*

Quicumq; est imperator Romanus, ille est verus homo.

Solus Ferdinandus tertius est Imperator Romanus.

Ergo Solus Ferdinandus tertius est verus homo.

Resp. peccat in hanc Logicorum legem. In I. & III. figurâ minor non sit negativa, hîc tamen est virtualiter negans, & æquipollet huic. Quicumq; non est Ferdinandus tertius, non est Imperator Romanus.

(4) *Ex Fallacia compositionis & divisionis talis,*

O: vivens moritur. Ezechias Rex in lecto jacens, 15. annos adhuc victurus, est vivens. Ergo Ezechias in lecto jacens, 15. annos adhuc victurus, moritur.

Resp. Hæc propositio (*omnis vivens moritur*) est quidem falsa in sensu composito, est tamen vera in sensu diviso, in quo sensu debet accipi, id est, qui antea erat vivens, moritur, sic Syllogismi vitium in subsumptione apparet.

(5) *Ex fallacia accidentis talis.*

Quæ quis pronunciat, ea ex ore ejus exeunt.

Atqui egregiæ pinguedinis leonem quis pronunciat.

Ergo talis ex ore ejus exit.

Resp.

Resp. In majore 7^o QVAE putatur notare substantiam, at
notat accidentia, verba nimirum, Minor sic limitata falsa e-
rit:

6. Ex fallaciâ secundum plures interrogationes hoc
unicum ultimo loco notare lubet ex Laërt. l. 2. c. 10. nostri n.
instituti non est, omnes sophismatum species longâ serie e-
numerare. Menedemus percontanti cui dam Alexino:

An patrem cadere desisset.

Respondet: neq; cecidi, neq; desii: Cum alter subjecisset,
oportere solvere ambiguitatem per *ὄχι* & *ναί*, aut negando,
aut affirmando: Ridiculum, inquit: est vestras sequi leges,
cum liceat in portis occurrere. Alexinus enim captabat ca-
ptiosâ percontatione, sive enim respondisset, desii, sive non
desii, crimen fateri visus fuisset. Desinit enim, qui capit, &
qui se non desuisse dicit, pergere videtur, quamvis reipsâ non
necesse sit, pergere illum, qui ait, se non desuisse, qui enim
nunquam cœpit, nunquam desinere potuit. Plura
non attrahimus, sed abrum pimus.

Tantum.

GLORIA DOMINO.

*Præstantissimo Literatissimoq; Dn. RESPONDENTI
Amico & Consalino suo singulari.*

Æ Gides potuit monstrum superare biforme,
Dum filum juveni, Gnosia virgo, parat.
Dædalus haud nocuit. Ducit vestigia linum
Virginis, eludit semivirumq; bovem.
Sic quoque dum Logices sequitur gens musica filum,
Exspirat falsum, nec nocuere plica.
Hanc venerare ducem? BORNHOLDI? perge nec unquam
Desere, sic poteris, ferre, referre gradum

faustæ acclamat. e.

f.

Casparus Nyser. J. U. L. Curia Elect.
Adyoc. Ordin.

Quid non obtineat diu studendo
Mens solers ratione Syllogismi?
Certè sic penetrantur astra, tellus,
Et quicquid tenet universus orbis;
BORNHOLTZI, celebrat Tuas cathedra
Laudes & TIBI jure gratulamur.

ἀποσχ.
PRÆSES.

UT sine clave domum nemo referare, nec ejus
Perlustrare oculis pulchra hypocausta potest:
Sic quoque nemo potest Sophia recludere abyssum,
Qui solida Logicæ cognitione caret.
Hæc Ariadnæum filum, magnetica pyxis,
Et Pharia est turris, lydius atq; lapis.
Hinc bene agis, laudemq; paras Tibi splendidam, Amice.
Ex Logica primâ dum vice bella subis.
Maeste bono ingenio! Quântò subtilior unquam
Es Logicus, tantò es Philosophus melior.

Amico fraterrimo, suo antehac συσσίτω &
συνόικω, benevolè gratulatur

M. Jacobus Saurius, Pol.

So recht O Musen-Sohn/Herr Borneholts dein Wachen
Vnd hochgerühmter Fleiß die müssen ja was machen/
Das zu der Sache dient: ist kömpt es an das Licht/
Wornach dein Herze strebt. Wie du so gar erpicht
Auff Kunst vnd Tugendt seyest zu jederzeit gewesen/
Drumb ist auch dein Gemüth darinnen so genesen/
Daß du nicht ruhen kanst/es zeigt es ihunt an/ (man
Was Fleiß aufrichten mag / drumb rühmt dich) jeder.
Daß du dich so erkühnt / Ja auch die Pierinnen
Gedencken izo gleich dadurch dich zu gewinnen
Zu ihrer Weissen Schaar. So fahre tapffer fort/
Apollo wartet schon mit seinem Kranke dort.

Seinem vielvertrauten Brüderlichen Freunde vnd
Zischburschen schrieb dieses glückwünschend

Johannes Leo, Phil. Stud.

Ung VI 73

ULB Halle 3
004 108 515








בגכר
OGICA

49
ISMIO,

M ACADEMIA
TO

EXIMII

Strauchs/

. adjuncti meritissimi,
amici sui ma-

placide

DUS Bornholtz /

ij veteris

Octobr.

C LIV.

SSS SSS SSS SSS

Æ,
graphica

LII.

